



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Tam relatio creata realis, quam diuina includit in sua ratione peculiari, ad,
reale. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

thoritate.
S. Thom.

camiento relationis inter alia prædicamenta accidentis, quod cum in alijs propria ratio cuiusque quam vocamus modum intrinsecum, sumatur ex ordine diuerso ad subiectū, vt in quantitate, qualitate, &c. propria tamen ratio prædicamenti relationis non significatur cum ordine ad subiectū, sed ad terminum extrinsecum, & ideo non significatur vt inhærens. Atqui in hunc sensum videtur locutus Boethius lib. de Trinitate in medio, vt explicat S. Thom. in solutione primi argumenti huius articuli, cum negat prædicamentum ad aliquid de Deo prædicari: explicat namque S. Thom. non prædicari tanquam quid inhærens, consideratum nempe secundum solam rationem ad, bene tamen secundum rationem in. Ratione vero sic probari potest sententia Caietani. Ratio ad, secundum se, non: consideratione, in, tantum respicit terminum, hoc autem commune est relationi reali, & rationis, ergo non potest esse quid reale.

Quomodo
differat
ratio ab
alijs prædicamentis
secundum
Caietani.

Quomodo autem prædicamentum reale relationis distinguitur a alijs conceptu communis entis reali & rationis, sic explicat Caietan. quia quamuis sit communis entis reali & rationis, tamen non reperitur in alijs prædicamentis rebus: eo igitur sufficienter prædicamentum relationis ab alijs distinguitur, veluti si cælum non esset animal, haberet nihilominus animam rationalem, vt aliqui docuerunt: licet anima rationalis communis esset homini & cælo, eo tamen sufficienter homo ab alijs animalibus distingueretur, quia in nullo animali nisi in homine reperitur. Hinc sit relationes diuinas, si considerentur secundum esse ad, præcisum ab in, non esse reales, sed communes ad reales & rationis, quod quamuis nec Caietanus, nec Canariensis expresserant, ex eorum tamen principijs videtur inferri.

Corollarium
ex Caietani
sententia.

CAPVT II.

Tam ratio creata realis, quam diuina includit in sua ratione peculiari, Ad, reale.

Ratio ad
verè realis
est.

Mihi semper placuit opposita sententia, nimirum esse ad, quod conuenit relationi reali, & est modus tertij prædicamenti, & quod conuenit diuinæ relationi, nec esse quid rationis, nec commune rationis & reali: sed verè esse reale & inhærens, solamque vocem communem esse vtrique ad, rationis videlicet & reali. Hanc sententiam colligere possemus primum ex S. Thom. in hoc articulo, vbi ait, solum in ijs, quæ dicuntur ad aliquid, inueniri aliqua entia rationis, & aliqua re alia, non autem in alijs prædicamentis: hoc est posse esse relationem realem, & rationis, quæ est opus intellectus; cum tamen non sit substantia, nec quantitas, nec qualitas rationis. Reddit rationem, quia alia genera secundum propriam rationem denotant aliquid re ipsa inhærens, vt quantitas, qualitas, &c. genus autem relationis, & quæ dicuntur ad aliquid, secundum suam rationem solam significant respectum ad aliud, qui aliquando est in ipsa natura rerum, aliquando solum in intellectu. Loquitur plane S. Thom. non de ratione significata, sed de nomine relate significante, cum ait, solum significare respectum qui aliquando est in rerum natura, aliquando in solo intellectu: nam ipsa ratio significata non significat respectum, sed est respectus ipse, dicit autem tunc esse realem respectum.

Colligitur
ex S. Tho.

etiam, quando est inter ea, quæ natura sua inuicem ordinantur: sentit igitur illud ad, quod est inter ea, quæ inuicem ordinantur, esse reale, quamuis nomine communi significetur.

Ratione vero probatur, illud ad non posse esse quid commune entis reali & rationis. Primum, quoniam niam entis reali, & rationis non potest esse ratio aliqua communis obiectiue existens in intellectu: quia, aut illa ratio communis esse debet omnino conficta ab intellectu, aut verè realis; neutro autem modo esse potest communis entis reali & rationis, vt constat: ergo non datur talis conceptus communis. Est igitur solum commune nomen, ratio vero eorum esse nequit communis, præsertim, si vero est eorum sententia, qui cum Caietano de analogia docent, non esse aliquem communem conceptum analogatis, sed ipsa proxime significari eodem nomine, quod ego verissimum existimo. Nam si conceptus aliquis esset communis, totus esset in analogatis, quibus communis esse diceretur; esset igitur vnus conceptus prætermittendus, & in multis, ac proinde vniuersalis: cum ergo relationi rationis, & reali non possit esse aliquod commune nisi solo nomine: sequitur, rationem illam ad non posse esse communem entis reali, & rationis, atqui illud ad nequit esse rationis, cum sit modus intrinsecus prædicamenti realis, ergo illud ad prædicamenti realis debet esse aliquid reale, ac proinde relatio realis secundum illud esse ad non potest non in esse.

Secundò esse ad prædicamentum realis ita est modus intrinsecus huius prædicamenti, vt ratione illa in, quæ est in omnibus prædicamentis etiam cognitione abstracti, aut separari nequeat, ergo et ratione est, quid reale, & inhærens: assumptum vero probatur hoc modo. Aut nomen accidentis analogice significat nomen prædicamenti, vt probabilius opinio fert, & ita non potest esse vna ratio eo nomine significata communis nouem prædicamentis: sic enim, vt supra dicebamus, cum illa esset vna, & tota integrè secundum se in singulis inferioribus vniocè significaretur: hac namque est definitio vniocorum secundum Aristot. in ante prædicamentis cap. de vniocis. Nec aliter quid obesset, si ratione differentiarum aut modorum intrinsecorum illa ratio communis perfectius esset in vno inferiori, quam in alio, quæ etiam ratione probatur, non posse dari conceptum communem entis substantiæ & accidentis, quia aliqui substantiæ & accidentis vniocæ essent respectu huius nominis ens.

Quòd vero aliqui dicunt, rationem eius non in eodem modo esse in substantia, & accidenti, quia in accidenti est, vt pendens à substantia: parum obstat, quo minus dicamus, accidens & substantiam esse vniocæ in ente: siquidem nomen est idem & conceptus eorum, vt significatur ea voce idem omnino in vtroque est: neque enim significatur ea communi voce diuerso modo in vno, & in alio conceptus ille, si communis est, non inquit diuerso modo, nec ex parte significati directi, nec ex parte connotati, cum ea voce communis non significantur modi peculiare, quibus contrahitur, vt aduersarij fatentur, quomodo autem nequeat abstracti conceptus communis entis, si transcendens, dicemus infra disputatione 12. capit. 2. Si ergo nomen accidentis est analogum, sed significat rationem communem analogatis, sed

(vt Caiet. docet in opusculo de Analogia) proxime ipsa in analogata denotat; sequitur in omnibus modis intrinsecis prædicamentorum, etiam in ipso *ad*, intrinsecè includi rationem *in*, quæ hoc nomine *accidens* significatur; sicut etiam ratio entis in omnibus differentiis substantiæ continetur, ita, vt nulla differentia possit sine ratione entis, quod omnia transcendit, cogitari.

Aur dicimus, nomen accidentis significare vniuoce nouem prædicamenta, vel saltem tria præcipua ex illis, aut, si placet, dicamus esse genus ad illa, vt aliqui etiam non tam rectè sunt opinati, nihilominus ratio illa *ad* prædicamenti realis non poterit sine aliqua ratione *in* cogitari. Nam accidens, quod ponitur vniuoce, & genus ad tria illa, vel nouem prædicamenta, debet esse completum, præter quod datur etiam ratio accidentis incompleta, quæ de omnibus differentiis, & modis intrinsecis ita prædicatur, vt essentialiter illis cõueniat, neque cum illis compositionem faciat; illa ergo ratio *ad*, semper includit rationem *in*, siue licet hac voce *ad* non exprimitur, non potest ea audita non statim intellectu apprehendi.

Tertio id ipsum experimento constat, nam audita hac voce *ad*, non potest nō intellectu concipere ordinem vnius ad aliud; iam ergo apprehenditur ordo, vt est alicuius & ad aliud; vt autem est alicuius, habet rationem *in*, ergo nullo modo sine ratione *in* ratio *ad*, potest cogitari, aut certè donec illud *ad* concipiatur esse alicuius, nullum conceptum rei ea vox in nostro intellectu efficere potest, vt cuique compertum est. Quamuis ergo illa vox *ad*, non ita expresse significet rationem *in*, quia tamen ita connexæ sunt ratio *ad*, & ratio *in*, vt *ad* sine *in* cogitari nequeat; sit vt audita voce *ad*, non possit non apprehendi ratio *in*, contra vero audita voce *in*, non statim apprehenditur ratio *ad*, quia ratio *in*, latius patet, & non omnis forma, quæ est in alio, est ad aliud, sicut contra omnis relatio, quæ est ad aliud, est etiam in alio; includitur enim ratio *in* in ratione *ad*, sed non contra.

Hactenus probatum est rationem *ad*, quæ est prædicamenti realis esse realem & essentialiter in se ipsa includere rationem *in*; iam vero de relationibus diuinis eodem modo dicamus, eas videlicet non solum esse reales secundum totam suam rationem, sed secundum rationem etiam *ad*, quod eisdem rationibus seruata proportionem probari potest. Est tamen obseruandum illud, quod disput. 121. cap. 2. explicabitur: nempe rationem *in*, quam intrinsecè in suo conceptu includunt relationes diuinæ, non esse totum essentiam & substantiam Dei. Nam si includamus substantiam & essentiam Dei, resultat iam integra persona, relatio autem non est tota persona, sed ratio constitutus personam.

CAPVT III.

Respondetur argumenti Caietani.

Ad testimonium S. Thomæ, quod pro se affert Caiet. respondeo, S. Thomam nunquam dixisse rationem *ad*, quæ peculiaris est prædicamento reali, esse communem reali & rationis, sed loquutum fuisse de voce, *ad*, secundum totam analogiam suam: hæc enim nō exprimit rationem *in*, neque aliud reale, cum commune sit secundum analogiam reali, & rationis: ideoq; dixit, peculiariter esse huic prædicamento reali relationis, vt quæ in 1. partem Tom. II.

eius rationem formalem significari nomine communienti rationis, & reali, quod alijs prædicamentis non conuenit. Nomina enim quibus significatur modus peculiaris aliorum, denotant solum rationem verè realem, quia nulla est quantitas, nec qualitas rationis: hinc tamen non fit, rationem peculiarem huius prædicamenti realis relationis esse communem relationi reali, & rationis: sed ipsam significari nomine communi. Quare cum ait, S. Doctor art. 2. prædicamentum relationis secundum propriam rationem solum significare formam assistentem, intelligit secundum nomen commune *ad*, non significari formam inherenter expresse, cum commune sit relationi rationis & realis, qualis vero fuerit error Gilberti explicabitur disput. 120.

Gilber.

De mente autem Boethij libr. de Trinitate in medio, cum asserit ad aliquid nō prædicari de Deo, aliter censo dicendum, quam existimauit S. Thomas, ait enim, Boethium considerasse solum relationes secundum esse *ad*, quæ ratione tantum sunt assistentes, & hoc pacto negasse in Deo relationes, quia verè assistentes non sunt: alius tamen sensus ex verbis eius perspicue colligitur. Nam de prædicamentis Deo cõparatis sic philosophatur: Primo quidem asserit, tria prædicamenta, substantiæ, videlicet, quantitatis, & qualitatis verè Deo conuenire, ita tamen, vt in eo solum significant substantiam, imò supersubstantiam; nam Deus substantialiter dicitur bonus, sapiens, & magnus; secundò ait, sex vltima prædicamenta, scilicet, modus, scilicet, formæ intrinsecus adiacentis, vt esse in loco, esse in tempore. Tertio subiungit, prædicamentum relationis Deo non conuenire, sicut creaturis: his enim conuenire potest extrinsecò aliquo, & in aliena natura adueniente, & eo etiam pereunte perire; at Deo esse nequit relatio adueniente aliquo intrinsecò, sed intra eandem naturam confurgit; & propterea diuinam relationem appellat identitatis, & similitudinis relationem, non quia hæc relatio, quam vocamus similitudinis & identitatis, sit solum in Deo, aut in Deo sit realis; sed quia relationes reales, quæ sunt secundum originem, sunt in eadem & omnino simili natura: de illis vero relationibus æqualitatis, identitatis, & similitudinis, quæ Deo conuenire dicuntur, an sint reales, dicemus disput. 167.

103

Explicatur
Boethij, & S.
Thom.Alia tamen
est mens
Boethij.

Verum enim vero alia ratione Augustinus hæc omnia prædicamenta Deo comparat, quinto de Trinitate, cap. 8. & 9. & seqq. ait enim primo substantiam & relationem propriè de Deo prædicari, hoc est, nomina horum prædicamentorum propriè Deo conuenire, tamen si, vt ostendi supra disput. 22. Deus in nullo sit prædicamento; nec oppositum voluisse docere Augustinum, cap. 4. demonstrari: dicuntur ergo illa duo nomina, substantiæ videlicet, & relationis propriè de Deo, non metaphorice, licet non vniuoce, vt ibidem latè ostendi; quia relatio in Deo, etiam si sit substantia, rectè & propriè relatio dicitur. Secundò docet Augustinus: cætera omnia prædicamenta dici solum translativè & metaphorice de Deo, præter actionem & passionem, de quibus postea dicemus: probat vero inductione. Nam Deus propriè non dicitur quantus, nec qualis, quia substantia sua quantus & qualis est. Putat ergo differentiam esse inter hæc duo & relationem, quod relatio, etiam si

11.

Qua ratio
ne prædicamento
Dei
comparat
August.